UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Lerna Malorvm Omnivm; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XXII. Quomodo per peccatum mortale diabolus intret ain animam, eam pro sua habitatione accipiat, sibique subijciat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46756

Visual Library

### *Quomodo per peccatum mortale Diabolus intret in animam, eam pro ſuâ habitatione accipiat, ſibique ſubijciat.*

## CAP. XXII.

PRincipalis locus, & habitatio Dei eſt diuina eius eſſentia, qui eſt ipſe Deus; & ſic Deus videndo ſe, amando ſe, fruendo ſe eſt in ſuâ gloriâ, & in ſeipſo. Præter hunc locum, atque hanc habitationem, quæ æterna, ac principalis eſt, habet Deus alium locum, & aliam habitationem, quam in tempore ſumpſit, videlicet animam hominis iuſti, in quâ Deus habitat per gratiam, eique ſe ita præbet, vt anima poſſideat ipſum, & ipſo, tanquam re ſuâ, bonoque ſuo, fruatur. *a Vos*, inquit S. Paulus, *eſtis templum Dei viui, ſicut dicit* idemmet *Deus* in diuinâ Scripturâ: *b Quoniam inhabitabo in illis*, in intimo animarum ipſorum per dona gratiæ, *& inambulabo inter eos*, faciens ipſos



a 2. *Cor. 16, 6.* b *Leu. 26, 12. Ezech. 37. 27.*

bonum operari, & in acceptâ gra
creſcere. Conatus eſt Diabolus D
primam, & principalem habitation
eripere, videlicet habendo ſeipſu
pro ſuâ gloriâ, & pro vltimo fine ſu
vel veram gloriam non per gratia
ſed per ſuam virtutem, vireſque na
rales conſequēdo: & conari hoc, qu
proprium Dei eſt, vocat diuina Scr
ptura, voluiſſe eſſe, *ſicut Deus*. Cumq
hoc ſuum intentum Diabolus con
qui non poſſet, voluit Deum eijcere
alterâ habitatione, quæ eſt anima i
ſtorum; ideoque tentauit noſtros pr
mos parentes, eos vicit, & in anima
ipſorum intrauit. Eodemque mod
cum omnibus peccatoribus agit; in
trans per peccatum mortale in eos,
ipſis habitans, ipſoſque, tanquam re
ſuam, poſſidens. Ad hoc mouetur in
menſo, quo Deum proſequitur, odi
eique, quicquid malorum, & iniuria
rum poteſt, faciendi deſiderio: Et cu
Deum in ſuâ diuinitate, gloriâque ta
gere nequeat, tangit eum in anima

bus,

bus, quæ ſunt creaturæ primariæ, quas in hoc mundo habet, auferens ipſi eas, in eaſque intrans, ſuam ipſas habitationem faciendo; atque in hoc, quantum in ipſo eſt, omne malum, & omnem, quam poteſt, Deo iniuriam facit. Id declarauit Chriſtus in Euangelio, dicens: a *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens in eis requiem; & non inueniens dicit: reuertar in domum meam, vnde exiui: & veniens inuenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe; & intrantes habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius* opera *peiora prioribus.* In his verbis Chriſtus clarè ſignificauit, Dæmonem per peccatum mortale intrare in animam, in eâque habitare: Et quamuis inde aliquoties per pœnitentiam eijciatur, tamen eum redire ad fortiùs tentandam illam, & ſi ipſa in peccatum mortale conſentiat, rurſus intrare illum, in eâ-



a *Matth. 12, 43. Luc. 11, 21.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

que habitare. Hoc fecit Diabolus cu populo Iudæorum, à quibus per leg obſeruantiam eiectus, ad eoſdem r dijt per delictum, quod commiſerun non recipiendo Chriſtum; idemque cum alijs peccatoribus facit. Loca ari da, & inaquoſa, vbi Diabolus non in uenit ingreſſum, nec requiem, ſunt a (S. Gregorio interprete) corda iuſto rum, *quæ per diſciplinæ fortitudinem a omni carnalis concupiſcentiæ humore ſi cantur.* *b* Domus, in quam intrat, eſt peccator, qui (vti explicat S. Augu- ſtinus) ſanctis exercitijs, veriſque vir- tutibus vacuus eſt, & exteriùs aliquam munditiem, virtutiſque apparentis, & ſimulatæ ornatum habet. Et quærit hanc rem Diabolus, id eſt, vt Deo ani- mæ habitationem eripiat, eamque pro ſe ſumat, cum incredibili diligentiâ, & aſtutiâ, & cum maximo furore, ac ra- bie, conſentaneè ſuo in Deum, cui no- cere cupit, odio. Hoc ſignificauit Chri-

ſtus

a *D. Greg. l. 33. mor. c. 3.* b *D. Aug. l. 1. de qq. Euang. q. 8.*

ſtus in Euangelio, dicens S. Petro: *a Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum*; id eſt (quemadmodum S. Titus Epiſcopus declarat) vt vos concuteret, turbaret, tentationibuſque affligeret; & Deus id permiſit, vt purgaret, mundaretque vos, & vt triticũ, quod vos electi mei eſtis, à paleâ, id eſt, ab impio Iudâ, qui periturus eſt, ſeparetur. Et S. Petrus etiam ampliùs declarauit hanc vigilantiam, & feritatem, cum quâ Diabolus quærit intrare in animas, dicens: *b Aduerſarius veſter*, & hoſtis capitalis, *Diabolus, tanquam leo rugiens* cum rabie, & inſatiabili fame *circuit, quærens, quem deuoret*; hoc eſt, quærens animas, quas faciat conſentire peccato mortali, itáque occîdat, ac ſibi incorporet, faciens ipſas membra ſua, & eaſdem in æternam damnationem auehat. *c Satanas*, inquit S. Macarius, *vehementer optat requieſcere, & cubile ſuum in animâ collo-*

 *care;*

a *Luc. 22. 31. D. Tit. ibi.* b *1. Petr. 5. 8.* c *D. Macar. homil 15. in Biblioth. tom.*

*care; & affligitur, ac torquetur, quando n* *obſequitur*, nec conſentit, ſed reſiſtit *anima.* a Et *eſt* clarum huius vehementiſſimi deſiderij *ſignum*, vt S. Bonauentura loquitur, diligentia, quam adhibet in quærendis animabus, quas tentationibus, fraudibuſque ad peccandum inducat: quæ diligentia tanta tamque terribilis eſt, vt licet iam ſe *millia annorum ſint, & ampliùs, quod nihil aliud fecit, quam procurare peccata neq; illa infinita millia hominum peccatorum, quos deuorauit, numerari poſſint, nunquam tamen fatigetur*, ſed ſemper perſeueret homines ad peccandum inducere. Euidens etiam huius deſiderij, diligentiæque teſtimonium eſt lætitia, quâ Dæmones exultant, & falſum, quod percipiunt, ſolatium, ſi quē hominem iuſtum vicerunt, faciendo ipſum in mortale aliquod peccatum cõſentire. *b* Narrat Caſſianus de quodam Monacho, qui cum per ſolitudinem

a *D. Bonau. l. Diat. ſalutis tit.* 1. c. 1

b *Caſſ. coll. 8. c. 16.*

nem iter faceret , *aduesperaſcente iam die*, *antrum quoddam* , capturus inibi quietem, ſubijt, & elapsâ mediâ nocte, *innumerabiles Dæmonum vndique confluentiũ cateruas* vidit; ex quibus vnus, qui princeps erat, *vniuſcuiuſque actus diligenti cæpit examinatione diſcutere, illóſque, qui necdum ſe circumuenire æmulos ſuos* (Fidelium animas) *potuiſſe dicebant, velut inertes, ignauoſq́; cum notâ, & iniuriâ expellebat, opus ab eis inaniter expenſum cum fremitu, & indignatione furoris exprobrans: illos vero qui ſe nunciabant conſignatos ſibi decepiſſe, ſummis laudibus cum exultatione, ac fauore cunctorum, vt fortiſſimos bellatores, emittebat.* Inter hos quidam nequiſſimus ſpiritus prodiens retulit, quemadmodũ quendam Dei ſeruum *poſt quindecim annos, quibus eum iugiter obſediſſet*, tandem illâ nocte in peccatum mortale *impulerit*: & hoc cuncti pro præclaro facinore, atque inſigni victoriâ habuêre, quam ingenti iubilo ſunt proſecuti. Vehementer aliquis gaudet, quando conſe-

quitur id, quod valde deſiderat, quo-
que magno ei labore, ac moleſtiâ ſte-
tit: & ſic quòd Dæmones Fidelium
ruinâ tantoperè lætentur, licet ſit fal-
ſa, & apparens lætitia, cum veram ha-
bere nequeant, clarum argumentum
eſt ingentis deſiderij, quo illam deſi-
derant, & ſummæ diligentiæ, quâ ad
impellendos eos vtuntur. Quis expli-
care verbis poterit, quantum faciat
malum homo eijciens Deum ex *habi-
tatione* animæ ſuæ, & Diabolum habi-
tatorem admittens? Quis declarare
poterit, quàm im̃enſa ſit iniuria, quam
per id Deo facit, quamq́ue damnum
incomparabile, quod per hoc animæ
ſuæ infert, & quàm propter hanc ini-
quitatem dignus æternâ damnatione
fiat, quòd, cum anima à Deo ad ipſius
imaginem, & ſimilitudinem creata ſit,
vt ſit eius habitatio, domus quietis
eius, hortus ipſius voluptatum, & tem-
plum viuum, in quo interiore venera-
tione colatur; & cum, poſtquam per
peccatum perijt, redempta, compara-

taq́ue

taque ſit infinito precioſiſſimi ſanguinis eius pretio in hunc ipſum finem, vt ſit habitatio illius, ac templum, vbi in æternum ei ſeruiatur, ipſeque glorificetur: & quòd, cum propter eam ærumnas, doloreſque incomparabiles tulerit, vt obligaret, ac moueret ipſam ad ſe libenter, & cum amore, tanquam perpetuum cordis ſui hoſpitem, & habitatorem admittendum; quòd item, cum hoc ineffabili honori, emolumentoque homini ſit (quandoquidem Deum habitatorem habens, omnia, quæ poteſt deſiderare, bona cum ipſo habet) nihilominùs idem homo vſque adeò audax, & temerarius ſit, vt propriâ ſuâ voluntate in aliquod mortale peccatum conſentiens, hanc animæ ſuæ habitationem Deo auferat, ipſumque inde pellens, ſpiritum immundum, tenebrarum principem, peruerſum ſatanam, humani generis inimicum, animarum latronem, proditorem, & mendacij patrem intromittat, qui dolis, falſiſque promiſſis aliud non



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quærit, quàm homines in æternã dam-
nationem pertrahere, vt ſocij ipſius
ſint in perpetuis inferni tormentis:
quemadmodum fuerunt eius ſocij in
culpâ, quâ Deum offenderunt: Et
quod talem inimicum, taleque mon-
ſtrum Tartareum velit homo habere
animæ ſuæ habitatorem nocte, & die,
vigilans, & dormiens, loquens, legens,
orans, Miſſamque audiens, & per om-
nem vitam, atque in æternum: *Poſt-*
quam enim ſemel in animam intromiſ-
ſus eſt, nullius creaturæ vires ad eijci-
endum illum ſufficiunt, & pœnitentia,
per quam eijcitur, ſupernaturale Dei
donum eſt, quod iure ei negari poteſt,
eſtque res admodum contingens, vt id
ipſi Deus neget, vitâ eum priuando, ſi-
cuti negauit, ac negat quotidie infini-
tis peccatoribus, qui ſine pœnitentiâ
moriuntur, quia mortem illis immit-
tit, antequam tempus, quo eam agere
cogitabant, adueniat. Permoleſtè ho-
mo fert, ſiquem iuxta domum ſuam
malum, ac potentem vicinum habet,
qui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

qui ei in omni re contradicit, & quicquid mali poteſt, facit; illudq́ue habet ſolatij, quod videt, ſe alibi habitare poſſe; & ſic facit, quam primùm poteſt, ab eo ſecedendo. Quantò igitur æquius eſt, hominem permoleſtè ferre, quod non iuxta ſe, ſed intra animam ſuam talem habeat habitatorem, qualis Dæmon eſt, qui ei in omni bonâ re contradicit, ipſumq́ue ſemper perſequitur, & quicquid poteſt mali, ei facit, ne momento quidem ſinens ipſum quieſcere? Tantum ergo malum fac ſentias, Chriſtiane, & nunc, dum tempus habes, muta locum, peccati ſtatum muta, malamq́ue vitam per pœnitentiam muta: eijce Dæmonem ex animâ tuâ, nec ampliùs intromitte, peccata præterita deſerendo, nec vnquam illa iterando, quemadmodum S. Paulus peccatores quoſdã hortatur, dicens: a *Nolite dare locum*, nec ingreſſum *Diabolo*, conſentientes *iræ*, & ſi conſenſiſtis, ne detis ei locum, in illâ perma-



a *Ad Epheſ. 4. 27.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nendo, eijcite eam per pœnitentiam
& qui *furatus* eſt aliquid proximo ſuo
pœnitentiam agat, ſatisfaciendo pro
culpâ, & rem malè acceptam reſtituen-
do; *nec iam* ampliùs *furetur*, ſed *labo-
ret manibus ſuis*, non ſolúm vt ſe alat,
ſed etiam *vt habeat, vnde tribuat neceſ-
ſitatem patienti*. Hoc monet S.Paulus;
& hoc facere fidelis homo debet cir-
ca hæc, & cetera omnia peccata, cor-
rigendo vitam ſuam, pœnitentiamque
de illis agendo. Et ſi Diabolus per pœ-
nitentiam eiectus, iterum eum perſe-
quetur, tentabitque, vt ab ipſo admit-
tatur, pugnet cum eo, & fortiter illi
cum feruore, quem idcirco à Deo ha-
bet, reſiſtat; ſicque vincet, ac fugabit
eum à ſe, prout S.Iacobus teſtatur, di-
cens: a *Reſiſtite Diabolo*, non con-
ſentientes ei, *& fugiet à
vobis.*

a *Iac. 4. 7.*